

**Valahfridus (Wilfried Stroh):
De lingua Latina non semel mortua, semper rediviva**

Oratio habita Romae apud Consilium studiorum provehendorum in natione Italica (*Consiglio Nazionale delle Ricerche*) in conventu omnium gentium De Latinitate futura (*Latino futuro*), cui praefuerunt Robertus de Mattei, Gualterius Brandmueller, in Aula Marconi ad Forum Aldi Mori, d. Veneris 25 Mai. A.D. MMVII¹

Quotiescumque quaeritur, sodales, num discendum sit Latine, non desunt inimici linguae Latinae, qui eam mortuam esse clamitent ac sepultam. Neminem illa uti dicunt nisi forte Benedictum papam cardinalesque quosdam iam paene decrepitos. Immo viva est, contra clamant amici, vivit enim adhuc in linguis Romanicis quae dicuntur, item in lingua Anglica, quae in terrarum orbe nunc prima est; in Germanico quoque sermone non exigua eius reperiuntur vestigia. Vivit lingua Latina, ut omnes norunt, etiam in neologismis disciplinarum et artium, qui cottidie fabricantur; nova quaedam Latina etiam ab eis conformantur qui mercium praeconia faciunt et nomina excogitant, ut est inter autocineta *Fiat* Italicum et *Audi* Germanicum. Pergunt contra urgere inimici: Haecne vera vita dicenda est? In singulis vocibus quae consistat? Non hercle est vita linguae, nisi ea in usu loquentium versetur. At versatur, inquiunt amici, nam utimur omnes saepissime Latinis proverbiiis, nec desunt qui Latine etiam scribant et loquantur, ut Finni in nuntiis suis Latinis, quos iam paene viginti annos radiophonice et interretialiter divulgant. Sed quorsum hi pertinent, clamant inimici, lusus pueriles ...?

Ohe! iam satis est. Nolite enim credere, sodales, me hodie istam notissimam litem componere velle sic, ut firmissimis vobis et quasi adamantinis rationibus comprobem Latinam linguam vivere. Non hoc meum est propositum, date veniam, immo contra quasi laudator funebris eius existam: mortuam esse concedo et dico linguam Latinam eamque non semel, sed saepius vita defunctam esse: Quater aut quinquies, nisi fallor, iam spiritum exspiravit, sic tamen ut semper mirum in modum convaluerit et revixerit. Quare factum est ut non viva illa quidem dicenda, sed pro immortalis, quod maius est, habenda sit. De his igitur mortibus et ortibus linguae, si vobis placet, dicam.

Ac de primo ortu brevissime agam. Nam scitis omnes linguam Latinam hac Roma longe vetustiore esse. Qua primi usi videntur di illi Latini indigites silvestres qui Fauni vocabantur, si quidem Ennio credimus, qui dixit de

*...vorsibus quos olim Fauni vatesque canebant.*²

Quorum unus etiam in Latio regnavisse fertur, pater eius regis cui nomen erat Latinus. Is Latinus autem, ut e Vergilio notum est, Aeneas e Troia cum suis fugientem accepit eique post bella nonnulla Laviniam filiam in matrimonium dedit. Tunc autem primum, ut Vergilius idem refert, lingua Latina in mortis discrimen vocabatur. Timebat enim Iuno summa dearum, ne in hac populorum confusione Troianorum lingua linguam Latinorum vinceret eaque plane periret. Quod si factum esset, nunc in gymnasiis non Latine, sed, eheu, Troice disceremus. Hoc tamen nefas Iuppiter ipse fieri vetuit, qui Iunonem uxorem nimis timidam his verbis consolatus est:

*sermonem Ausonii (Itali sive Latini) patrium moresque tenebunt
... faciamque omnis (Italos et Troianos) uno ore Latinos.*³

¹ Haec oratio nonnullis locis cum eis congruit, quae auctor nuper scripsit in libro Theodisce exarato: *Latein ist tot, es lebe Latein!*, 2007 (m.Mart., List Verlag).

² ann. 214 Vahlen

³ *Aen.* 12, 834; 837

Unde quanti Iuppiter ipse Latinam linguam faciat cognoscimus. Latine igitur locutus est Aeneas ipse cum nepotibus, Latine locuti reges Albae Longae, Latine denique Romulus huius urbis conditor, cuius primi verba Latina traduntur. Nam cum in ludicro certamine Remum fratrem crudeliter occidisset, Livio teste exclamavisse fertur: *Sic deinde quicumque alius transiliet moenia mea*⁴ - quae verba vel brevitate ipsa hominem et Romanum et Latinissimum produnt.

Sed nos cruenta illa historiae Romanae initia relinquamus, ad recentiora properemus. Aliud enim quoddam periculum Latinae linguae imminebat, cum tertio a.Chr.n. saeculo Romani Graecas litteras adamare coepissent. Qui amor maxime e theatris scaenicis natus videtur, cum Romani in Italiae meridiana urbis Graecis, ut Tarenti, fabulas Menandri aut Euripidis spectavissent idque novum genus artis admirati et amplexati essent. Nonne igitur verendum erat ne tunc Romani scriptores Graecorum carminum dulcedine capti neglecto sermone patrio et ipsi Graecis litteris linguaque excellere cuperent. Nec tamen factum est. Nam Livius Andronicus, grammaticus origine Graecus, primus in scaena Romana fabulam docuit, sive ea tragoedia sive comoedia fuit, eamque voluit esse Latinam. Quare Latinam? Nempe ut non paucis doctioribus id drama approbaretur, sed ut a mediocri populo quoque cum voluptate intellegi posset. Quae res tum quidem in toto orbe terrarum, nisi fallor, unica et singularis fuit. Nimirum ubique erat apud omnes gentes admiratio et aemulatio Graecarum litterarum, inde ab illo tempore quo primum artes et lingua Graecorum per orbem diffundi coeperunt (quam aetatem *Hellenisticam* nunc dicere solemus); sed omnes omnium populorum scriptores exemplaria Graeca semper imitabantur Graece, exceptis unis Romanis, qui uti malebant sua, id est lingua Latina. Tantum erat in vulgo et plebe quoque studium litterarum, tantus in civitatis principibus amor linguae Latinae!

Ergo Romani annis saeculisve sequentibus ut singulas sibi provincias ad propagandum imperium acquirebant, sic etiam singula opera sive genera litterarum in suum usum arripiebant: florebant et quidem Latine florebant comoedia, tragoedia, carmen epicum, lyricum, eloquentia forensis, historia quoque. Deerat diu philosophia - neque enim Scipio cum Panaetio suo Latine locutus est -, donec M. Tullius Cicero advenit, qui hanc quoque litterarum partem non minus diligenter quam diserte supplevit, vir egregius, *facundiae Latiarumque litterarum parens*,⁵ ut dicebant, et *non hominis nomen sed eloquentiae*.⁶ Per illum aequalesque factum est, ut tunc Latinae litterae non modo pares sed etiam superiores Graecis viderentur: Certe neminem tum quidem habebat Graecia iam languens, quem Ciceroni, Catullo, Lucretio, Vergilio, Horatio, Ovidio, Livio opponeret.

Hinc etiam divulgari sermo Latinus coepit una cum litteris per imperium orbemque terrarum. Quod primus quasi praesensisse videtur Horatius vates cum sese in ipsa morte transformari in cycnum vaticinatus est, qui totum orbem pervolaret.⁷ Uno saeculo post hanc rem velut iam confectam Plinius in Naturali historia notavit: Dicit enim *numine deorum electam* esse Italiam, quae *tot populorum discordes ferasque linguas sermonis* (scilicet Latini) *commercio contraheret ad conloquia et humanitatem homini daret*.⁸ Quis credat? Italia igitur sive Roma non solum omnibus populis unam linguam dedit, Latinam scilicet, sed una cum ea lingua etiam humanitatem - ut ne homo quidem esset nisi qui sciret Latine!

Defleam an gaudeam? Nunc primum aliquam cantilenam funebrem instituere cogor. Nam hoc ipso tempore, quo Latinus sermo ubique maxime in usu erat, prima mors eius deploranda est eaque gravissima. Aut ut argutius dicam: Nascitur Christus, moritur lingua Latina. Cur id affirmare audeo! Neque ignoro multos reclamatuos. Sed res simplex et aperta est, si modo animadvertitis. Quodcumque vivere dicimus, sive homines sive bestias sive

⁴ Liv. 1, 7,3

⁵ Plin. nat. 7,117

⁶ Quint. inst. 10,1,112

⁷ Hor. carm. 2,20

⁸ Plin. nat. 3,39

arbores sive herbas spectamus, id fere semper mutatur, convertitur, progressus aliquos facit. Ex infante fit puer, e puero adulescens, ex eo vir, senex denique. Sic etiam linguarum plurimarum aetates quaedam notantur. Ut in Anglica lingua sermonem veterum, qui dicitur *Old English*, distinguimus a sermone mediaevali, scilicet *Middle English*, et a recentiore, qui est *New English*; nec desunt etiam plures divisiones minores. Latina lingua autem fere inde ab aetate Augusta nullas subiit mutationes aut progressiones, sed una eademque mansit, nisi quod, ubicumque necesse erat, nova verba formata sunt (ut nuper apud nos *computatrum* aut *interrete*). Praecepta certe grammatica semper eadem valuerunt.

Non creditis? At vos comparate comoediam aliquam Plauti cum epistula Ciceronis familiari sermone conscripta: cognoscetis sermonum aliquam differentiam. Ut cum *faxit* dicit Plautus, *fecerit* Cicero, *comoediai* Plautus, *comoediae* Cicero, multa alia, omnibus nota. Comparete contra cum Cicerone epistolam Senecae aut D. Hieronymi, qui quattuor saeculis postea scripsit: nihil, quantum ad *syntaxin* et *morphologiam* quas dicimus attinet, ibi mutatum videbitis seu novatum. Sed id latius patet: Etiam si epistulas aliquas Caroli Magni, Petrarcae, Erasmi, Benedicti papae comparaveritis, unam atque eandem linguam reperietis. Genus dicendi quidem, qui etiam stylus dicitur, non nihil variatur - nam Senecam quidem aut Tacitum non Ciceroniane scripsisse nemo ignorat -, sed ipsae leges grammaticae eadem et in illo et in ceteris valent. Non vivit igitur lingua, quamvis florere videatur.

Unde eam mortem accidisse dicamus? Certe non ex aliqua imbecillitate aut senectute linguae Latinae. Mihi contra ea mors orta videtur e summa admiratione egregiorum operum, quae classica dicimus, imprimis Ciceronis et Vergili. Quae cum viri docti immortalia esse cuperent, ut semper et legi et imitatione exprimi possent, quasi communi consulto eam linguam, qua Cicero Vergilius eisque similes usi essent, mutari aut progredi non iam debere statuerunt. Nec sane id apertis verbis quisquam professus est, sed tacito quodam sensu ei qui litteras amabant de hac immutabilitate linguae consenserunt. Quare haec mors non mors verissima dicenda est - sed magis, ut dixi, immortalitas quaedam.

Neque id tamen ad omnem linguam pertinebat. Nam eodem tempore quo sermo doctorum mortuus est, cum mutari progredique desiisset, natum est aliud genus Latinitatis quod ab indoctis celebrabatur, nunc autem dicitur *Latinitas vulgaris*: In hoc genere, quod in loquendi usu communi tantum versabatur, non in elegantioribus scriptis, existebant certe mutationes nonnullae, quae a grammaticorum praeceptis discrepant. Hic, ut paucissima afferam exempla, periit ablativus, ut diceretur *cum amicos* - date veniam - pro *cum amicis*; hic periit dimensio genuina vocalium et syllabarum, ut esset *bōnus* pro *bōnus*. Quam loquendi pravam consuetudinem primum in parietibus Pompeianis deprehendimus. Respuebant sane talia grammatici, qui in scholis suis puritatem linguae, qualis in optimis scriptoribus antiquis erat, diligenter servabant. Quare eorum disciplinam D. Augustinus non immerito *historiae custodiam* vocavit.⁹ Quorum notissimus est Donatus, magister D. Hieronymi, iam non hominis nomen, sed ipsius grammaticae - de quo hoc immortale est distichon:

*Discite Donatum, pueri, puerilibus annis,
ne spretus iuvenes vos notet atque senes.*¹⁰

Quin etiam Christiani grammaticorum scholas adire manusque quasi ferulis eorum subducere cogeantur. Ac Tertullianus, Minucius Felix, Lactantius diversis modis Ciceronem aemulabantur, Hieronymus autem sic purgavit Sacram scripturam nimis barbaram ante translata, ut in humilitate sermonis tamen Donati aliqua praecepta servarentur. Solus Augustinus, novator ingeniosissimus, uno loco a grammaticorum doctrina defecit: Scripsit enim canticum, quod dicitur *Psalmus contra Donatistas* eum in modum, ut necessitate metrica

⁹ *mus.* 2,1

¹⁰ J. Glandorp, *Disticha*, 1553

solutum esset. Accommodavit id scilicet auribus et oribus eorum, qui syllabarum longarum breviumque differentias non iam observabant, ut id sic sonaret:

*Abundantia peccatorum solet fratres conturbare.
Propter hoc Dominus noster voluit nos praemonere ...*¹¹

Ea scilicet origo fuit poesis non iam metricae, sed *rhythmicae*, quam dicunt, quae et medio aevo valebat et usque ad nostra tempora permansit. Quamquam ne poesis metrica quidem umquam coli desita est.

Sed pergamus. Iam enim accedimus ad mortem secundam, quae eo tempore accidit quo Germanis in imperium Romanum irruentibus tota Europa ac pars Africae perturbabatur. Tum etiam in omni Romania, ne dicam de Germania, evanuit et quasi corruit institutio grammatica, quae a solis Anglis et Hibernis servabatur. Qua defectione factum est ut clerici quoque Latine paene nescirent, velut notissimus ille sacerdos Bavarus qui infantem baptizare voluit *in nomine patria et filia*.¹² O misera ecclesia! Deinde propter eandem disciplinae corruptionem tum denique exoriri potuerunt linguae Romanicae, id est Italica, Hispana, Lusitana, Francogallica ceteraeque, quae, ut omnibus notum est, originem suam non Latinitati purae et grammaticae, sed illi vulgari trivialique debent. Hae igitur tunc brevissimo tempore quasi in locum Latinae linguae successerunt. O misera Latinitas!

Sed in hac ipsa secunda morte Latinae linguae Carolus Magnus subvenit, summus scholarum reformator, quem nunc etiam patrem Europae quidam non iniuria dicunt. Is Alcuini Angli auxilio confisus institutionem grammaticam in scholis restituebat secundum praecepta Donati et grammaticorum priscorum. Qua ipsa reformatione condicio linguae Latinae valde mutata est. Tunc enim non iam, ut antea, a matre aut a nutrice illa lingua disci poterat, sed a grammatico solo. Ergo omnes qui doctiores esse cupiebant primum a matre et necessariis paternum sermonem discebant, deinde in schola linguam Latinam quasi peregrinam sive, ut Dante poeta vocavit, *locutionem secundariam* addiscebant.¹³ Illo paterno sermone in conversatione familiari utebantur, per hunc Latinum membra fiebant rei publicae litteratorum, ut cum omnium gentium viris eruditis colloqui possent. Atque hic status rerum, quem Carolus Magnus primus induxit, paene mille annos permanebat, donec saeculo duodevicesimo omnis usus linguae Latinae valde deminutus est. Fuit autem haec quoque quasi mors quaedam, cum linguae disciplina quasi a matrum gremiis in magistrorum libros translata esset. Sed quam splendide tamen tum floruerunt litterae Latinae mediaevales! Nec medium aevum tam obscurum aut sordidum quam quidam opinantur fuit. Sed id explicare nunc longum est.

Eheu! Post quattuor saecula iam mors tertia imminabat. Nam inde a saeculo decimo tertio litterae Latinae nescio quomodo languere coeperunt: Et in carminibus et in oratione soluta paucissimi eloquentiae studebant, ingeniosissimus quisque ab elegantia sermonis maxime abhorrebat. Tum vero exortum est aridum illud et exsanguie generis dicendi quod nunc appellatur *scholasticum*, celebrabatur autem maxime in universitatibus a theologis et philosophis, ut ab Alberto Magno aut Thoma Aquinate (ut summa tantum ingenia nominem). Ei scilicet altioris mentis homines nihil quaerebant nisi ut omnia accuratissime explicarent et enuclearent, nullo sensu venustatis, nullo eloquentiae studio. Quorum scripta, quae nunc a paucis leguntur, tam remota erant a Ciceronis elegantia, ut ille, si revixisset, vix intellecturus fuerit, quid dicerent. Non igitur mirum est eo denique tempore effloruisse vernaculas litteras. Quis enim scriptor Latinus tum, etsi voluisset, par esse potuisset aut Danteo Alighieri aut Volframo ab Eschenbach? In eo statu iam erat lingua Latina, ut eam paene mori malles quam vivere: *Requiescat in pace!*

¹¹ W. Bulst (ed.), *Hymni Latini antiquissimi*, 1956, p. 139

¹² *MGH* 1, 1892, p. 336

¹³ *De vulg. eloqu.* 1,1,3

Sed ecce affuerunt iterum medici et servatores qui Latinitatem iam paene exstinctam et conclamata ab ipsa morte revocabant. Scitis quos dicam: *humanistas* scilicet, ut nunc satis barbaro nomine vocantur. Ei enim Petrarca duce post longum intervallum denuo eloquentiae et copiae studere, Ciceronem imitari, *studia humanitatis* - nam sic dicebant - renovare coeperunt. Quare ille ipse Petrarca quasi e luto barbariae os primus caelo sustulisse praedicabatur. Quos humanistas nunc viri docti et laudare et vituperare solent. Laudant enim quod tenebris theologicis et mediaevalibus expulsis, non iam Deum, sed hominem rerum mensuram esse statuerint; reprehendunt autem quod Latinam linguam etiam tum vivam nimio amore puritatis et Ciceronianitatis occiderint. Quod utrumque falsissimum est. Nam ut de ipsius Petrarcae aliorumque pietate mira et Christianitate taceam, quis credere possit hos ipsos viros tam singulari Latinitatis amore incensos eam linguam trucidasse? Immo ea, si ad leges grammaticae severissime quaeras, ut vidimus, iam dudum erat mortua Romanicis linguis pro illa substitutis; sin ad litterarum splendorem spectes, tunc ipsum maxime moriebatur et quasi animam agebat.

At progressus quosdam, inquiunt, etiam medio aevo faciebat lingua Latina, quod eam vivam fuisse indicat. Quos tu dicis? Licebat tum sic loqui: *sentio quod deliras* pro *sentio te delirare*, ut grammatica olim exigebat; quo manifestum est linguae leges esse mutatas. O callidam stultitiam! Quasi medio aevo umquam pro vitio habitum sit his dicendi sentiendique verbis recte et emendate uti. Et quasi optimus quisque scriptor non semper abhorruerit ab illo *sentio quod* aut *dico quod*, etiamsi in aliis talia peccata fortasse tolerabat humanius. Nolite igitur summos viros ut Franciscum Petrarcam aut Laurentium Vallam his calumniis onerare - qui nobis ut aeterna bene dicendi exempla ad imitationem proposita sunt. Medici fuerunt illi Latinitatis, non sicarii.

Horum certe humanistarum auspiciis tum in Europa tota ut vix umquam antea studia litteraeque Latinae in flore et honore erant. Quod maxime commodum evenit scriptoribus nationum minorum, quorum linguas vernaculas vix quisquam intellegebat, dico Belgas, Polonos, Hungaros, Finnos, multos alios. Eis linguae Latinae gratia magnum theatrum in universo orbe terrarum paratum erat, quod aetate nostra frustra desiderant. Ceterum humanistarum illa vestigia fere omnes ecclesiae reformatores sequebantur, ut Lutherus, Calvinus, Zwinglius, imprimis Melanchthon, quo de Latino sermone in Germania restituendo certe nemo melius meritus est. Nec minus postea Societatis Iesu socii, quos Iesuitas dicimus, Ciceronis eloquentiam in suis affectabant scholis. Quorum tamen summum meritum ponendum est in fabularum scaenicarum arte (quod Germanice *Jesuitentheater* id est *Scaena Iesuitarum* vocatur). In tota Europa enim ad illorum spectacula, quamvis Latina essent, omnis populus, volgus quoque profanus et indoctus confluebat eum in modum, ut poesi Latinae post tempora veterum fere numquam plures, non dico lectores, sed auditores spectatoresque contigerint.

Neque id in perpetuum mansit. *O tempora o mores!* Iam eo ipso saeculo quo Europae populi maximo illo bello triginta annorum concutiebantur, paulatim decrescebat usus Latine scribendi et loquendi. Non solum in vetere Romania, id est Italia, Hispania, ceteris, sed paulo post etiam in Germania poetae nobiliores quoque a Latino sermone desciscere coeperunt, sua quisque lingua nativa carmina elaborare malebant. Quos sequebantur aliquanto tempore post ei viri docti qui in physica aliisque disciplinis versabantur. Ergo in Francogallia iam saeculo decimo sexto exeunte numerus librorum Gallice scriptorum numerum Latinorum superare coepit, quod idem in Germania uno saeculo postea factum est. Eodem fere tempore, A.D. MDCLXXXVII, Christianus Thomasius, iurisprudentiae professor in universitate Lipsiensi Germanice praelegere ausus est, qui mos in Germania mox precrebrescebat. Nam duodevicesimo saeculo exeunte, ut in Germania sic in omni Europa, scholae in universitatibus pleraeque vernaculis linguis explicabantur. *O tempora o mores!*

Unde haec mutatio rerum, quae quasi mors quarta Latinae linguae nuncupanda est. An credamus eam linguam huic novo saeculo, his novis scientiae disciplinis et inventis non iam

potuisse accommodari? Minime. Id e plurimis optimorum scriptorum exemplis refutari potest. Immo omnis haec consuetudo nativo sermone pro Latino utendi non ex aliqua imbecillitate aut vetustate Latinae linguae nata est, sed ex nimio studio et amore quo viri docti suas quique nationes diligebant suosque cives ambiebant. Veteres enim sua cogitata et sententias communicare cum omnibus viris doctis in Europa studebant vigente etiam tum illa re publica litteraria, cuius communis sermo Latinus erat; tunc autem hic mos sensim evanuit, cum etiam viri doctrina excellentes sua inventa suis potius civibus, etsi minus docti viderentur, nota facere mallent quam viris eruditis qui in aliis gentibus isdem disciplinis studebant.

Laudabile id quidem ex aliqua parte videtur - sed quantum inerat periculi et molestiae! Quam pauci intelligunt, si sua quisque lingua utitur? Ita ut non solum Itali Italica, Germani Germanica, sed etiam Hungari Hungarica, Finni Finnica - cur non etiam Aethiopes una aliqua ex mille linguis Africanis loquantur? Nonne verendum est, ne iam *polyglossia* quae dicitur turris illius Babyloniae resurgat quae linguae Latinae ope tam feliciter destructa et deiecta videbatur? An aliqua e recentibus linguis Latinae succedere illamque quasi lacunam explere possit? Nam primum quidem Francogalli, qua sunt confidentia, suum sermonem tamquam vinculum inicere omnibus conabantur, non paucis tamen strenue adversantibus. Nunc decenniis proximis idem, ut nostis, Angli sibi arrogaverunt, qui ceteris dictionem adeo obtrudunt suam, ut Margareta Thatcher, *domina ferrea*, quam vocant, iam abhinc triginta annos dixerit tanto beneficio suos Anglos orbi terrarum communem linguam dedisse quanto olim populum Romanum.¹⁴ Ac profecto iam eo perventum est, ut in disciplinis atque artibus vix quisquam non Anglice loqui dignetur. Pessime factum! Hinc enim fit ut nunc Angli Americanique, qui nativi sermonis beneficio fruuntur, omnibus in scribendo et dicendo potiores sint. Quod in physica medicinaque fortasse tolerari potest - in philosophia tamen et grammatica sive philologia, quarum artium sermo mollissimus subtilissimusque esse debet, nocet plurimum. Sed, ne diutius querar, fuit haec igitur quarta mors linguae Latinae, non repentina illa quidem aut subita, sed lenta et quasi repens, qua tamen factum est ut sub finem saeculi duodevicesimi Latinae litterae paene extinctae iacerent multique id ipsum interrogarent quod nunc solent nosque initio quaesivimus: *num descendum Latine?*

Sed iam gaudete, sodales! Nam saeculo postero, scilicet undevicesimo, effloruerunt denuo in scholis ubique studia Latina - in scholis, inquam, non in vita communi. Cogebantur enim gymnasiolorum discipuli Latine non legere tantum, sed etiam scribere, disputare, versus quoque pangere. Nam id persuasum erat magistris neminem vere doctum atque eruditum dici posse nisi qui in studiis Latinis excelleret. Quae sententia primam originem duxisse videtur e novo illo antiquorum temporum studio, quo tunc inde a Winckelmanni scriptis animi incensi erant. Cuius auctor maximus in Germania erat Gulielmus ab Humboldt, qui initio novi saeculi gymnasia et universitates reformare coepit, cum tamen ipse magis Graecorum quam Romanorum cultor videretur. Hic vir genus omne scholarum non eo institutum esse credebat ut alicui utilitati serviret, sed ut puerilium animorum vires universe id est omnibus numeris excolerentur et ad perfectionem quandam absolverentur. Latina igitur lingua tum non tam ideo discenda videbatur ut aliquis scriptores Latinos legere et intellegere posset - nedum ut diversorum populorum viri docti haberent quo inter se communicarent -, quam ut per grammaticorum praeceptorum accuratissimam cognitionem ingenia puerorum ad summam sagacitatem acuerentur. Quae doctrina nunc quoque ubique inter docendi peritos, quos *didacticos* dicunt, valet, in Germania autem vocatur *formale Bildung*, id est *mentium ipsarum formatio*. Vellem equidem explicare quantum detrimentum haec persuasio, quamquam per se non prorsus falsa est, institutioni Latinae attulerit afferatque - sed historiae seriem persequi praestat.

Ergo illam quartam mortem linguae Latinae, ut vidimus, vita quaedam paene splendida secuta est. Sed iam quinta mors ei imminet, quae tamen utrum mors vera sit an

¹⁴ M. Tönnies / C.-U. Viol (ed.), *British Political Speeches*, 2001, p. 87

denuo morbus aliquis dubitari potest. Nec de exitu constat. Quis igitur illi paene nimio Latinarum litterarum in scholis studio atque cultui obviam ire ausus est? Non tam ei homines qui tum in artibus physicis sive naturalibus aut in mercium pecuniaeque commercii plurimum poterant quam ei qui verebantur ne nimio antiquorum temporum studio amor patriae minueretur. Nam in Germania quidem primus talis Latinitatis hostis extitit imperator Gulielmus II, qui in oratione acerrima et gravissima A.D. MDCCCXC habita postulavit, ut in gymnasiis humanitate antiqua diffluentibus magis patriae cura et amor excitaretur: nempe non adulescentes Graecos aut Romanos, sed Germanos esse educandos¹⁵ (quam sententiam postea Hitlerus et *nazistae* qui dicuntur valde fovebant). Sic inde ab eo tempore etiam in scholis Latina studia deminui coeperunt. Atque omnium celerrimi fuerunt Russi, qui post rerum novationem illam quae a mense Octobri nomen habet omnem linguam Latinam e scholis eiciebant; lentius et multo cautius idem agebant Americani, post alii. Nam de Latinitate in Italia inde a fascibus novatis resurgente taceo.

In nostra autem Germania Occidentali, quae *Foederata Germanorum Respublica* appellatur, inde a bello maximo secundo semper acerrimum certamen fuit inter eos qui studia Latina servare et eos qui abolere voluerunt. Atque abhinc fere quadraginta annos iam plane superiores videbantur inimici, imprimis *neomarxistae* quos appellabant, qui humanitatem illam a magistris diu celebratam ut fictam falsam commodisque hominum adversam respuebant. Latinis autem studiis id maxime effici putabant, ut inferioris condicionis homines ad altiorem in civitate locum eniti vetarentur. Sic illi quondam loquebantur, nec paucis tunc ea persuaserunt. Nunc autem denuo conversionem quandam sententiarum in Germania certe factam videmus. Nam et magistri studiosius et confidentius quam olim Latina studia defendunt, et discipulorum numerus qui aut ipsi Latine discere cupiunt aut a parentibus eo adducuntur paene in dies crescere videtur - ut iam inopia quaedam sit magistrorum.

Unde haec igitur recentissima mutatio? Causas plures suspiceris. Quarum prima mihi videtur esse in novo quodam omnis antiquitatis studio, quo multi homines etiam mediocriter eruditi a veteribus vitae quoque praecepta quaerunt (neque ullus philosophus, ut bibliopolae nuntiant, nunc a Germanis pluribus legitur quam Seneca Stoicus Romanus). Secunda autem causa fortasse in ipsa institutionis ratione ponenda est. Multi enim magistri non satis habent discipulis leges grammaticas Latinas explicare et inculcare, sed libris iucundioribus variaque pictura illustratis nixi pueris Latine discentibus etiam aditum aliquem amoenum ad Romanorum vitam cultumque aperire conantur; deinde in ipsa linguae institutione curant ut sermonis mira suavitas aliquem locum teneat: pro lectione tacita, quae olim praevalerat, recitatur Latine, cantatur Latine, Latinae nonnumquam etiam aguntur fabulae. Nec desunt doctores qui cum discipulis Latine ipsi loquantur. Hinc pueri puellaeque Latinam linguam non esse aliquam aridorum praeceptorum seriem sentiunt, sed linguam vivam veramque et quae linguae nomine digna esse videatur.

Nec sane omnis haec ratio, quae nunc *Latinitas viva* aut Gallico nomine *Latin vivant* dicitur, e scholis orta est. Nam eo ipso tempore quo in gymnasiis usus linguae Latinae valde minuebatur, dico saeculo undevicesimo exeunte, quo etiam Gulielmus II. ille in disciplinam Latinam invectus est - ecce vir Germanus non grammaticus, sed iuris peritus nomine Carolus Heinrich Ulrichs dimittere coepit in totum orbem terrarum suas *Alaudas*, id est periodicum Latinum quod, cum materiam diversam contineret, plenissimum ubique leporis Musarumque erat, nempe ut veritatem sententiae illustraret, quam semper prae se ferebat: *Linguae Latinae mira quaedam vis inest ad iungendas nationes*.¹⁶ Favebat huic generi scriptorum mox etiam papa ipse. Nam Leo XIII., non modo propter suas encyclicas, sed etiam propter carmina Latina celeberrimus, paulo post edidit *Vocem Urbis* suam maiorem certe maiorisque soni quam Alaudae parvulae emittere poterant. Quod periodicum papae multa alia secuta sunt, quae usque ad hunc diem vigent atque adeo pullulant. Condebantur tunc etiam sodalitates,

¹⁵ M. Landfester, *Humanismus und Gesellschaft im 19. Jahrhundert*, 1988, p. 149

¹⁶ K.H. Ulrichs (ed.), *Alaudae 1889-1895*. it. impr. 2004, p. 33, 41 et saepius

societates, collegia nonnulla, quae colloquiis Latinis destinata erant; instituebantur *Feriae, Septimanae, Conventus, Ludi Latini*, in quibus per plures dies Latine garriri, cantari, etiam saltari solet. E quibus rebus, etsi nonnullis ridendae magis videntur quam graves, maximam vim ac robur etiam studiis Latinis eis quae in scholis exercentur accrescere posse credo.

Nam quorsus haec omnia disputo? Cur hoc per saecula saeculorum *ad mea perpetuum deduco tempora carmen*? Nempe ut id doceam Latinam linguam propter ea et colendam et defendendam esse quae eius maxime propria esse historia ipsa demonstrat. Nam nostra aetate duae sunt imprimis rationes quibus haec studia defendere solemus, si quidem illas nugas quas initio magis iocose quam serio attuli - scilicet de linguis Romanicis, de artium neologismis et similibus - omittimus. Prima est illa animorum formatio, de qua dixi, quam nos Germani *formale Bildung* vocamus. Secunda est historiae vetustatisque cognitio: dicimus enim eum melius de praesentibus iudicare qui *ad fontes*, ut aiunt, sese applicans praeterita diligentissime noverit. Sunt vera haec quidem, non nego, sed vereor ne multis per se non satis sufficere videantur. Nam, ut de prima ratione dicam, quis non videt etiam aliis disciplinis ali augerique ipsa ingenia posse puerorum? Ut de geometria iam Quintilianus praeceptorum optimus statuit *prodesse eam non ut ceteras artis cum perceptae sint, sed cum discatur*.¹⁷ Deinde, quae secunda erat ratio, quo longius a nobis ea tempora recedunt quibus Latina lingua in usu erat, eo plus utilitas studiorum Latinorum decrescere videtur; quae certe olim Immanueli Kant magis necessaria erant quam saeculo post Carolo Darwin aut nunc Stephano Hawking.

Ergo non illis solis, quamquam maxima sunt, confidere debemus, sed etiam aliis, quae manifesta elucent, si fata Latinae linguae consideramus,. Quomodo enim factum esse dicamus ut quondam in Petrarca illo Latinitas ipsa quasi e barbaria et caeno tam pura surrexerit? Quia is, ut ipse testatur, post tot saeculorum sordes primus sentire coepit, quae in Cicerone esset *dulcedo et sonoritas verborum*.¹⁸ Ea ipsa sermonis dulcedo mihi, ut vere fatear, non minima fuisse videtur causa, cur Latina lingua post tot morbos obitusque semper quasi aliquis Phoenix recens renata et ad vitam revocata sit, non tam utilitas aliqua aut necessitas - quae certe in Petrarca nulla erat. Hanc igitur dulcedinem et sonoritatem ut discipuli nostri cum voluptate sentiant quam maxime curare debemus, neque id melius facere possumus quam cum suavissime et recitamus et loquimur ipsi, quod, ut dixi, multi iam faciunt. Accedit quod ex hac audiendi loquendique consuetudine Latina lingua celerius et facilius quam e solis praeceptis discitur.

Sed est fortasse etiam maius quod historia vitae artiumque magistra nos doceat. Multa equidem dixi de immortalitate linguae quae cum illius immutabilitate, ut meministis, arte cohaeret. Hac enim fit ut, quod in aliis linguis non licet, cum hominibus longissimo temporis spatio remotis quasi colloquamur, velut cum Cicerone, Augustino, Petrarca, Erasmo, Leibnitio, innumeris aliis. Nec cum his solis, qui pridem vita defuncti sunt, sed haec res etiam longius patebit: etenim sunt futuri quoque lectores, qui nostra scripta Latina, sunt fortasse etiam auditores qui *phonodiscos* Latinos aliquando nostros percipere possint. *Ille erit, ille dies quo maxima Troia peribit*, Homerus inquit, nec minus mehercules peribunt omnia quae nos nunc Italice, Germanice, Anglice scribimus, quia etiam ipsae hae linguae, quia vivunt, quasi morti destinatae sunt. Contra quae scribuntur Latine, si modo digna sunt quae legantur, quoniam semper et legi poterunt et intellegi, immortalitatem quandam adepta sunt. Ergo propter hanc quoque causam enixe laborandum est ne Latina lingua, quamvis mortua sit, in litteris librisque antiquis iaceat et quasi putrescat, sed ut in vivo usu ab optimo quoque celebretur.

De *Latinitate futura* ut disputaremus hunc ad conventum multis ex gentibus convocati sumus. Dicam igitur brevissime quid sentiam: Latinitas quae et futura et duratura est, debet esse *Latinitas viva*.

¹⁷ *inst.* 1,10,34

¹⁸ *rer. sen.* 16,1